

Initium: *Homo. Anima mea in angustiis est spiritus meus estuat &c. Fol. 136. p. 2. Incipit Liber Secundus.* Divisus est hic in multas *Rubricas*, quae non respondent titulis *Edit. cit.* et non raro iis pleniores sunt. Finis: *Tu mihi supra vitam meam places.*

XVI. fol. 150. p. 2. manus Seculi XIII. adscriptit *Decreta Hungarorum, quae a Guidone cardinali (S. Laurent. in Lucina a. 1267.) susceperunt.* Edidit ea ex hoc *Cod. Lambecius L. II. p. 68.* unde in *Collectiones Concc. Harduini, Coletii et Peterfii* profecta *Kollarius* demum T. I. *Analect. Vindob. col. 21.* repraesentavit. Sacerdotum Coelibatum maxime spectant.

CXCVI. VI. K. 29.

667 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 79. 4. nitidissime scriptus in *Italia*, Literis initiorum deauratis picturatisque decorus, quondam emtus et possessus a *Barth. Gbifilardo*, ut bis notatur, dein a *Job. Sambuco* complectitur sequentia: I. *Magni basilij cesaree capadociae sanctissimi archiepiscopi ad instituendos adulescentes in lectione poetarum ceterorumque antiquorum scriptorum libellus Vnicus et pulcherrimus incipit.* Sed praecedit: *Leonardi Aretini eloquentissimi uiri in translatione magni Basilij praefatio ad colutum.* Hoc initio: *Ego tibi hunc librum coluti ex media: ut aiunt: gratia delegi. &c.* Opusculum ipsum infit: *Multa sunt filij:*

*que hortantur me ad ea uobis consulenda &c.* Inscribitur illud lingua *Basilij: Προς τας Νεες, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικων ὠφελοιντο λογων.* et extat edit. *Opp. Maur. Paris. 1722. T. II. p. 173. f.* De Interprete *Leonardo Bruno Aretino* inter *Literarum in Italia* restauratores claro, qui an. 1444. vivendo adtigit, post *Laur. Mebus, Apost. Zenum* et *J. M. Mazzuchellium* egregie more suo pertractat *Hier. Tiraboscus Hist. lit. Ital. T. VI. P. II. L. 3. p. 33.* ubi et *Colutii Salutati* meminit, quo Praeceptore *Leonardus* in eloquentia latina *Florentiae* faventissimo usus fuerit. Versionem porro nostram utilissimi *Libelli* prima statim *Prela* multiplicare coeperunt adeo, ut mihi licuerit in *Supplementis Maittairii* hoc anno 1789. vulgatis plures Editiones ejus *Annalibus* addere, interque ceteras nemini hactenus memoratam *Budensem* typis *Andr. Hefs* circa 1473. 4. proditam, quam nunc *Bibliotheca nostra Palatina* recepit.

II. fol. 17. *Alexandri macedonis. Hannibalis Karthaginensis Scipionis africani maioris trium summorum ducum de artis imperatoriae presidentia contentio apud inferos sub minoe Iudice ex Iuliano auctore graeco per dominum Iohannem Aurispam in latinum de graeco conuersa Feliciter incipit.* Initium: *Alexander. Me o libice preponi decet. melior equidem sum. Hanni. Immo uero me. &c.* Est hic inter *Luciani Samosat. Scriptoris* Sec. II. notissimi *Διαλογος νεκεικας*

vergens numero XII. edit. Reitz. Amstelod. T. I. 1743. p. 380. 4. Interpretis Job. Aurispae Siculi Notensis Ferrariae 1460. defuncti Acta et Scripta referunt Illustr. Mazzuchellius in Scriptt. Ital. et supra laudatus Bibliothecae Aestiae Praefectus Tiraboscus l. cit. p. 265. Prior Codices mss. Versionis nostrae plenis quidem volis admetitur, Editiones vero diffimulat. At objacet mihi Lipsiensis per Jac. Thanner. 1500. 4. quam vix dubitem ex anteriore aliqua Italica expressam fuisse, nisi malis, Codicem ms. ab aliquo Itatorum, qui per id tempus in ea Academia profitebantur, allatum. Nihil de Versione aut Editione nostra Fabricius Bibl. gr. L. IV. c. 16. p. 492.

III. fol. 20. p. 2. Clarissimi omniumque philosophorum doctissimi Platonis de anime immortalitate phedon. Feli. incipit. Versionis hujus Codices enumerat complures Mazzuchellius, nullo tamen verbo meminit, eam inscriptam fuisse ab autore Leonardo Aretino Innocentio VII. Pontifici, cuius uno saltem anno, videlicet a 1405. ad 1406. quo obiit ille, Secretarium egit. Et extat in Codice nostro per Librarii errorem fol. ult. Leonardi Aretini ad Innocentium pontificem Maximum in translatione phedonis probemium, quod, cum unacum ipsa Versione *ἄνευδοτος* putem, et non nihil ad res Innocentii illustrandas facere censeam, huc transferre placuit.

Qui laudant sanctitatem tuam, beatissime pater, opus certe bonum ac pium agere pergunt, sed contra tamen atque ipsi uolunt efficere uidentur, rem enim supra suas uires aggressi, cum magnitudine eius parem orationem prestare non possunt, tantam audientibus illam uideri faciunt, quantam ipsi queunt uerbis referre, cum ueritate longe sit maior. Ego autem summas ac ueras laudes in ipsis operibus tuis habunde patere arbitror, nec eloquentia omnino indigere, qui in summo fastigio rerum summaque licentia constitutus ita salubriter omnia gubernas atque moderaris, ut uniuersi homines probitatem ac sanctimoniam tuam magnopere admirentur. Hec cum per se illustrissima sunt, tum ea de causa magis elucent, quia exoleuerant iam a seculo nostro, nec multis annis in ecclesiam dei reduci posse credebantur, que a te intra paucos menses summa cum prouidentia uidemus reducta. Te enim antistite nihil ambitionis nihil iniquitatis nihil omnino sordis auditur aut cernitur. Tu enim omnem pompam omnemque indignam potentiam repulisti. Tu non ui nec armis, sed iure ac legibus ualere uoluisti. Tu domum dei accepto flagello domum orationis reddidisti, pro quibus profecto rebus uniuersi fideles, si modo fideles esse uolunt, optare debent, te immortalem, si natura pateretur fieri, ut oues dominice sub tam optimo pastore diuissime pascerentur. Sed cum inter ceteras tuas laudes quoque sit rerumque scientia, putauit fore tibi

non ingratum, si aliquid studiorum meorum in tuo nomine ostenderem. Itaque rem pretiosam et ualde luculentam, sanctissime ac beatissime pater, ad te mitto platonis librum de immortalitate animorum. Nam cum illum apud grecos legerem, multaque in eo libere pie ac salubriter dicta intuerer, digna mihi res uisa est, quam in latinum conuerterem, et maiestati tue destinarem, ut cui animarum cura celitus mandata est, is intelligere possit, quid summus philosophus de animo sentiret. Erit igitur hic liber, ut opinor, tibi uiro doctissimo atque humanissimo non ingratus, ceteris uero hominibus ualde utilis, cum ad doctrinam et intelligentiam, tum ad recte fidei confirmationem. Neque enim minima pars religionis est, que ad animas nostras post hominis mortem pertinet, qua in re licet christiana doctrina nullo indigeat adiumento, cum omnia usque adeo plana ac firma sint, ut in neminem penitus nisi omnino insipientem ulla dubitatio iam cadere possit. Tamen erit ista non mediocris ad recte credendum accumulatio, si uidebunt hominem philosophum ex omni gentilitate acutissimum ac sapientissimum idem, quod nostri de anima sensisse. Quamquam non in hac duntaxat parte recte atque uere fidei plato consentit, sed in aliis multis, ut minime etiam admirer fuisse iam non nullos, qui opinarentur, hebreorum libros huic philosopho non fuisse incognitos. Cernentes enim tantam doctrinarum conuenientiam nullo pacto sibi per-

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

suadere poterant, ex proprio sensu platonem illa dixisse, sed aut ab hyeremia propheta didicisse, cum in egyptum profectus, aut in sacris libris, quos septuaginta interpretes in grecam linguam transtulerunt, legisse arbitrabantur, quod et si temporum supputatio non patitur, tamen ex hoc intelligi potest id, quod ego nunc ostendere uolo, me scilicet philosophum ad te mittere, qui a uera religione, cui tu diuino nutu prefectus es, nequaquam abhorret, sed tantam habet conuenientiam, ut fundamenta sententiarum suarum ex nostris libris putetur sumpsisse. Sed iam satis, ad interpretationem ipsam accedamus.

Init uero illa: Hecchecrates. Ipse affuisti o Pbedon ea die: qua socrates uenenum bibit in cratere (additum alia manu: uel in carcere. Rite εν τῷ δεσμωτηριῳ, nisi fortasse Leonardi Codex habuisset εν τῷ ποτηριῳ) an ab alio quodam audisti &c. Extat clarissimus hic Dialogus Φαιδων ἢ περὶ Ψυχῆς, de quo Fabricius Bibl. gr. L. III. c. 1. in edit. Henr. Stephani Opp. Platonis ex noua Job. Serrani interpretatione 1578. T. I. p. 57. f. Interpretationem nostram Mars. Ficino notam fuisse, dubitari vix potest; novam tamen ille dedit in Platone suo, quae in edit. Veneta 1491. fol. 175. verso legitur, et non raro ad uerbum cum nostra congruit. Illud addo: prima duo elegantuli Codicis nostri Opuscula coeua manu multis ad marginem et inter lineas adspersa esse notulis, quae sub initium tertii desinunt.

Q q

CXCVII.